

ב"ש הק"כד

DISSERTATIO ACADEMICA,

sistens ζήτημα

De

NATIVITATE
CHRISTI
BETHLEHEMITICA,

Utrum

in urbe an extra urbem facta?

ad Mich. V, 2. & Matth. II, 1. seq.

Quam

Benevolo Ampliss. Senatus Philosoph.

Consensu

SUB PRÆSIDIO

M. CHRISTOPH SAMUEL Scherff/

Crumpa - Misnici,

publicæ Eruditorum Disquisitioni

d. 11. Jan. Anno 1704.

submitit

A. & R.

CHRISTIANUS AUGUSTUS Freyberg/

Stolp. Misn.

oll. diss. A
16, 30

L I P S I Æ,

Literis CHRISTOPHORI FLEISCHERI.

20.

217. #

Diss. A. 216. (30)


AMICO. SVAVISSIMO.
DOMINO.
ERHARDO.
THVMBSERO.
SS. TH. CANDID.



S. P. D.

RESPONDENS:

LIPSIA. IDEM. STUDIVM. NOS. HIC.
IVNXERE. DAPES QVE.
ET. NOS. CONIVNGAT. MENS. EADEM.
VNVS. AMOR.



بِسْمِ اللَّهِ وَالْأَبْنِ وَالرُّوحِ الْقُدُّوسِ اللَّهُ أَوْ أَحْسَنُ ✽

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

DE primo doctrinarum & antiquitatis Parente, ut *Plinio* audit L. XX. C. 2, *Homero* observatum est *Tullio* Orat. pro *Rosc.* VII. Urbes celeberrimas de ipsius dimicasse stirpe atque patria. Hinc & *Sidonius Antipater* Antolog. L. IV. C. 27. sequens hac dere exhibet Distichon:

Septem urbes pugnant genus ob sapientis Homeri:

Smyrna, Chios, Colophon, Ithace, Pylus, Argus, Athenæ.

Conf. purissimæ, ut *Lipfio* Cent. IV. Misc. Ep. 57 vocatur, latinitatis Scriptorem *Agellium* L. III. C. II. Nec tantum hæ septem urbes, verum, si ex *Suida* & *Plutarcho* rationem ineas, vel ter septem, interque has & *Roma* civem suum *Homerum* vendicabit, quæ sane rei incertitudo mundi Cymbalum, publicæque famæ tympanum, ut est *Tiberio Cesari* ap. *Plinium* Præf. N. H. *Appionem* sc. *Grammaticum* movere potuit, ut umbras evocaret *Homericas* ad percunctandum, qua Patria, quibusve Parentibus esset genitus. Vid. magnæ eruditionis *Criticum Brodeuræ* in I Anthol. p. 132. & *Spondan.* Præf. *Homeri.* Verum ô perversa fata! *Maximus* humani generis *Sofander* cum adeo se humiliaverit, siquidem XIV distinctos actus, in quibus Exinanitionis *Christi* status consistat, recenset inter alios *Theol. præprimis B. Carpzovius* Isag. in Form. Concord. p. 1553. seqq. venit quidem in sua, sed sui Ipsum planè non recipiunt, & vix una remanet *Bethlehem*, quæ sibi de Patriâ *Messia* gloriatur. Tantum autem abest, ut vel minima hæc urbs pretiosissimam hancce *Gazam* retinere potuisse videatur, ut plurimi potius extra ipsius terminos in desolatos proscribere agros ausi sint. Nos

igitur de argumento, de quo hoc tempore Disputatio potissimum conscribi posset, cogitantes, eam animo imbibimus sententiam, nullum hocce melius temporique congruentius substrui posse. Verum equidem omnino iudicium B. *Kromayeri*, quod habet in Disp. de Baptism. Christi ad Matth. III. 13. seq. præf. ubi ita inquit: *Arbitrantur equidem attritam & per̄vulgatam doctrinam, de quâ templa, scholæ, omniumque sedes personent & caleant*, verum cum *μετρόπολις* hæcce salutis nostræ, digna, quæ sempiternis cordis nostri infixæ hæreat medullis. Tu autem, L.B. ubi Historica fide nimium annexi abductique, ea, quæ veritatem non admodum sapere videbuntur, protulerimus, veniam benigne nobis concedes; Hic enim nostrum faciemus illud R. *Eliakim Panzi Rhodigini*, qui in מפתח הגמרות ita: כי באמר אוכיח עליו חרפתי טרם יאמרו אלהי זולתי quod ex versione *Chr. Henr. Rittmeieri* p. m. II. Lubens enim imbecillitatem meam prius fatebor, quam alius mihi illam objiciat. Te autem Alme Pater Domini nostri Jesu Christi supplicibus imploramus precibus pro divina Spiritus S. assistentia, ut hæc cedant in jam nati Christi sempiternam gloriam nostrumque emolumentum. Amen.

SECTIO I.

§. I.

INter Prophetas minores majoris est momenti, quod de Nativitate Christi *σύγχρονον* & *Esaia Micha* (Vid. B. *Lutherum* Præf. in Mich.) verbis exhibet sequentibus ואתה בירת לחם אפרתה צעיר להיור באלפי יהודה ממך לי יצא להיור מושל בישרא ומצאותיו מקדם מימי עולם Id quod ad verbum ex versione *Bened. Aria Montani*, in Regiis Bibliis interlinearibus: *Et tu Bethlebem Ephrathab, parvulus, ad existendum in millibus Jebuda: Ex te mihi egredietur ad existendum Dominatorem in Israel. Et egressiones ejus à quondam diebus seculi.* Quæ si cum Matthæo conjungantur, Christi Nativitatem admodum exhibent perspicuè.

§. II.

§. II. Nostri autem proinde instituti non est multis verborum ambagibus exinde Harmoniam Michæ atque Matthæi evincere, siquidem hac in re diu præivit B. *Frischmuthius* *pecul. dissert. hab. Jen. 1662. V. & B. D. Chemnitius* *Harm. Evangel. C. X. p. m. 98. B. D. Aug. Pfeifferus* *Dub. Vexat. Script. S. f. LL. difficil. V. T. Loc. XC. ad Mich. V, 2. p. 854. B. L. Job. Thilo* *Med. Theol. V. T. f. Epit. Bibl. Reg. ad Mich. V, 2. p. 1254. B. Dn. D. Olearius* *Annot. Bibl. t. IV. ad Mich. V, 2. p. 1032. seqq.*

§. III. Cæteris enim omnibus missis, de loco duntaxat Christi natalitio erimus solliciti, qui in Genere significatur Bethlehem, id quod & patet ex ipsius Judaici Doctoris R. *Gantz* monumento *Zemach David*, qui L. II. *Chronol. ad An. 761.* ita scribit: *Jesus Nazareus natus est Bethlehemi, Judæe oppido, quod uno & dimidio milliari distat Hierosolymis Anno M. C. 3761. qui in Cesar. Augusti An. 42. incidit. Conf. Voissin. ad pugion. fidei p. 403. & Maji Synopsin p. 153. Hujus urbis descriptionem vid. ap. Christ. Heidmannum* *Palæst. C. III. §. 48. seq. & C. IX. §. 24. situm explicat ipse Micha per Ephrata, de quo vid. Hieronymum* *Ep. 27. ad Eustochium, Ad. Contzenium* *Com. ad C. II. Matth. p. 6. Pasorem* *Lex. Græc. sub h. v. Josephum* *L. III. de B. J. C. 3. Cramerum* *Class. III. proph. Scholæ in Explicat. 2. Vatuin. p. 79.*

§. IV. Propius ad rem ut accedamus, hoc in præsentia potissimum ventilandum nobis sumpsimus, *utrum Christus intra urbem, an extra urbem natus sit?* Ad posterius quod attinet, affirmant id multi ex Patribus, sed isti iterum in diversas scinduntur partes. Alii enim in suburbiis Bethlehemiticis natiuitatem Christi factam asserunt, inter quos prima nobis fronte se sistit *Cesar Baronius* *Soranus* *Congregationis Oratorii Presbyter,* qui tom. I. *Annal. Ecclesiasticor. ad An. Chr. I. n. II. p. 57. C. Ed. Rom. 1588. fol. ita: Quod inprimis ad locum ipsum, ubi Christus est natus, pertinet, spelunca fuit in suburbiis Bethlehemiticis posita. Item p. 58. a. Erat Bethlehem supra collem in longum porrectum sita, in cujus extremitate Orientem versus sub*

rupe quadam existente tunc temporis juxta muros civitatis erat
(vid. Burcard. in descript. terra S. P. I. C. 7. §. 59.) stabulum ac præse-
pe Domini excisum in rupe, ubi natus est Christus. Ast vero, qui loca
illa ignorant, nihil de spelunca dixerunt, quod putarunt in alicu-
jus rustica domuncula stabulo Christum natum. Ex quo etiam
adductus videtur Jacobus Sannazarius Poëta, ut L. II. de partu
Virginis p. 9. ita canat:

*Est specus haud ingens parvæ sub mœnibus urbis,
Incertum manibusne hominum, genione Parentis
Natura formatus*

*Huc heros (Joseph) tandem, superata ambage viarum,
Sic monitus, ducente Deo, cum Conjuge sancta
Devenit, multaque senex se nocte recepit.*

§. V. Huic contrarius proximè accedit *Abrahamus Scul-*
etus, qui & in *Delitiis Evangelicis Pragens.* C. XVIII. p. 66. Ed.
Hannov. A. C. 1620. & *Exercitationibus Evangel.* L. I. C. 51. Ed.
Amstel. A. C. 1624. p. 122. jam annex. tom. VI. *Bibl. Crit.* p. 1922.
ita scribit: *Ego, etsi oppidulum Bethlehem suburbia habuisse non*
credam; sentio tamen Christum non in oppido natum esse, sed
juxta latus ejus orientale apud mœnia in specu, habente præsepe
in saxo incisum, quo viatores cum suis jumentis divertebant, qui
oppidum intrare nollent, vel non possent. Is specus dictus fuit
Præsepe zur Krippen / quemadmodum hodieque in medio saepe a-
gro adicula rustica inveniuntur, ad quas viatores necessitate com-
pulsi solent divertere, qualis inter Brugos & Slusam in Flandria
reperitur, vocaturque zum Birnbaum. Cui sententiæ & suum
adjecit calculum Hugo Grotius, dum in Commentar. ad Luc. II, 7.
qui habetur tom. VI. Bibl. Critic. p. 1195. ita domicilium descri-
bit: Domum hanc non in ipsa urbe, sed proxime urbem fuisse ve-
tus Autor Justinus prodidit: Cui hoc magis credendum est, quod
non procul Judæa natus & educatus fuit, quippe Samarites; Et
ejus temporibus satis recens erat rei memoria, Ἐν σπηλαίῳ, in-
quit, τινὶ σὺνεγγίς τῆς κώμης κατέλυσε.

§. VI. Longius alii abire videntur in agros hancce pro-
scriben-

scribentes nativitatem, quorum Antesignanus *Eusebius* L. VII. de demonstrat. *Evaṅgēlica* C. V. Cuius verba *Græca* *Is. Casaubonus* Exercit. II. ad Baron. Annal. Eccles. A. I. n. 2. p. 119, ex Ed. Græc. p. 213 adducit: Καὶ εἰς δεῦρο δὲ οἱ τὸν τόπον εἰκόντες, ὡς πατέρων εἰς αὐτὰς κατελθούσης παραδόσεως, τοῖς τῶν τόπων ἱστορίας χάριτι εἰς τὴν Βηθλεὲμ ἀφικνήμενοις μαρτυρῶσι, τῶν λόγων (pro quo Casaubonus putat scribendum ματυρῶσι τῷ λόγῳ) πιστάμενοι τὴν ἀλήθειαν, διὰ τῆς τῆ ἀγρῶ δείξεως, (pro quo iterum Casaubonus legi vult: τῆς τῆ ἀντρῶ δείξεως) ἐν ᾧ τεκῆσα ἢ παρθένη, κατατέθειται τὸ βρέφος. Id quod *Cæs. Baronius* L. C. ita latinitate donavit: *Hodie quoque, qui illum locum incolunt, tanquam à Patribus eorum accepta memoria, his, qui visendi gratia Bethlehem petere consueverunt, testimonium suum afferunt, veritatem fidei facientes, agrumque demonstrantes, ubi virgo enixa infantem posuit. Eandem opinionem & approbasse videtur Cornelius à Lapide, quando ad Mich. V. commentatur: Apparet speluncam hanc non in ipsa urbe Bethlehem sitam fuisse, sed foris in agro suburbano juxta muros urbis &c. Item: unde sequitur, Christum non in urbe natum, sed rure quasi rusticorum puerum, ut eo quasi suo eide gratulari sibi possint rustici ideoque cum eo dicere:*

*Nobis rura placent, Pallas quas condidit arces
Ipsa colat.*

§. VI. Hi autem ferme commoti, ut hanc arriperent sententiam ex illo videntur, quod permulti locum Christi natalitium speluncam nominare annisi fuerint. Sic enim *Origenes* lib. I. contra *Celsum* p. 39. Δείκνυται τὸ ἐν Βηθλεὲμ σπήλαιον, ἐνθα ἐγεννήθη. Ostenditur spelunca ubi *Christus* natus sit. Sic & *Hieronymus* Epist. XIIIX. ad *Marcellam*: Quo sermone, quâ voce speluncam *Salvatoris* exponam? & illud præsepe, in quo infantulus vagiit, silentio potius, quam infimo sermone honorandum est. Et iterum: *Bethlehem* ecce, in hoc parvo terrarum foramine cœlorum conditor natus est, &c. *Justinus* cognomento *Martyr* in Dialogo cum *Tryphone* hæc habet:

γεννη-

γεννηθέντι δὲ τότε τῷ παιδίᾳ ἐν Βηθλεὲμ, ἐπειδὴν Ἰωσήφ οὐκ
 εἶχεν ἐν τῇ κώμῃ ἐξόμιον πρὸς καταλύσαι, ἐν σπηλαίῳ τινὶ συγγενὸς τῆς
 κώμης κατέλυσε, καὶ τότε αὐτῶν ὄντων ἐκεῖ, ἐτετόκει ἡ Μαρία
 τὸν Χριστὸν, καὶ ἐν Φάτνῃ αὐτὸν ἐτεθείκει. h. e. *Nato autem tum
 puero in Bethlebem, quia Joseph in vico eo non habebat, quo
 diverteret in specum quendam vico proximum concessit. Et
 tunc ipsis (Maria & Joseph) ibi existentibus peperit Maria Chri-
 stum & in praesepe ipsum reposuit. Eusebius de Vita Const. M. L.
 III. C. 42. antrum istum nominat dum ita: Deo, quem adoraverat,
 duo templa consecraverat, unum ad nativitatis antrum &c. quia
 autem ejusmodi antra & speluncae haudquaquam in urbibus
 solent reperiri, sed potius extra ipsas, hi eam animo imbibere
 sententiam, ut existimarint, locum huncce, quia per talia de-
 linietur, non intra urbis, sed extra ipsius terminos reper-
 tum.*

§. VIII. Qui tandem nativitatem hancce intra urbem
 factam asserunt, volunt & nonnulli aliud quiddam è vocaba-
 lo καταλύματι evincere. Scholasticos enim Doctores suo mo-
 re disputare affert B. D. Mart. Chemnitius Harm. Evang. C.
 VIII. p. m. 75. Diversorium hoc fuisse locum in publicâ pla-
 tea, deambulationibus & alligandis rusticorum adventantium
 jumentis destinatum.

SECTIO II.

§. I.

OMnes hæ sententiæ, recte inquit Is. Casaubonus de Reb.
 sacr. & Eccles. Exercit. ad Card. Bar. Annal. Eccles. Exerc.
 II. ad A. I. n. 2. p. 119. Ed. Francof. 1615. 4. *Et si quæ aliæ istis si-
 miles in Theologorum scriptis leguntur, originem sine dubio inde
 habuerunt, quod proniores fuerunt Viri eruditi ad conjecturas
 has in medium proferendas, quam mentem scripturarum dili-
 genter rimandum. Contrariam autem sententiam ex scri-
 pturis probari posse omnes fermè in dubium vocare solent,*
 præpri-

præprimis autem felicissimus Baronii Epitomator *Henricus Spondanus*, dum Epitom. Annal. Baronian. ad A. C. I. p. m. 10. n. 1 ita ait: *Vehementer se Casaubonus agitavit, ut Baronii sententiam de nativitate Christi in suburbiis Bethlehemiticis ostenderet contrariam esse Scripturæ, quæ Christum in Bethlehem natum asserit. Verum cum hoc Scriptura non exprimat, ac propterea totum feræ conjecturæ sit, non ita ad libitum Casauboni dicenda erit sententia (quæ etiam est Justinii Martyris) scripturis sacris adversari.*

§. II. Verum cum ex loco Christi natalitio haud infirmum contra Judæos petatur argumentum, certe non habemus, cur ipsi dubitandi causam suppeditemus; Perfidia enim Judaicæ omnino aperiri fenestram quisque perspicit, si concedatur, Christum non esse in urbe natum: Solet quippe hæc gens omnia, etiam minutissima sub severioris judicii lancem exigere, ut ansam habeat dubia reddendi signa Messiam nostrum confirmantia.

§. III. Non autem est ulterius, cur dubitemus, si asperimus modo perspicuum Michæ vaticinium; Expressis enim verbis iste ait קָרַב ex te, ex medio tui egredietur; nullus enim adversariorum vel unicum locum afferre poterit, in quo præf. ב aut part. יְקָרְב significet *prope* vel *ad*. Quid? quod huic & vaticinio sua veritas plane ac plene constat, si cum historia Evangelistarum jungatur. $\text{Τὸ δὲ Ἰησοῦ γεννηθῆναι ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰσραήλ, inquit Scriptor Θεόπνευστος Matthæus, ubi certe non dicit ἐγγὺς Βηθλεὲμ, vel ἐν ὄρειοις Βηθλεὲμ, ut adeo omne nobis adimat dubium. Unde & Sacerdotes atque Scribæ ab Herode convocati Magos non in fines Bethlehemiticos, sed in ipsam urbem ablegant. Melius ergo huc quadrat, quod Abr. Scultetus L. C. p. 67 de Articulo affert: Quorsum Evangelistæ tam constanter, semel, iterum, tertium usurparent particulam ἐν, nisi indicare vel- lent, factum hoc, nativitatem Domini, contigisse intra muros Bethlebemi.$

B

§. IV.

§. IV. Clarior lux affurgit sententiæ nostræ, si ex Luca ratio ineunda; Hic enim C. II. 4. ita: 'Ανέβη δὲ καὶ Ἰωσήφ ἀπὸ τῆς γαλιλαίας, ἐκ πόλεως Ναζαρεθ, εἰς τὴν Ἰερουσαλήμ, εἰς πόλιν Δαβὶδ, ἣτις καλεῖται Βηθλεὲμ. *Ascendit autem Joseph ex Galilæa, ex civitate Nazareth, in Judæam, in Civitate David, quæ vocatur Bethleem.* & v. 6. 'Εγένετο δὲ ἐν τῷ εἶναι αὐτὸς ἐκεῖ, ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς τεκεῖν αὐτὴν καὶ ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς Ἑσ. *Et factum est, cum essent ibi, impleti sunt dies parere ipsam, Et peperat filium suum Ἑσ.* Ex quibus tale pro stabilienda sententiæ nostræ eruimus argumentum: *Ibi peperit Benedicta Mater, quo cum sponso suo Joseph profecta fuerat, seque tunc temporis sustinuerat. A. Profecta fuerat εἰς Βηθλεὲμ, seque in ipsa urbe sustinuerat; Ergo Ἑ in ipsa urbe non ἐγγὺς Βηθλεὲμ, neque ἐν ὁρίοις Βηθλεὲμ peperit.*

§. V. Quod si Patrum Autoritatibus res agenda, nec nos iisdem destituimur. Magnum enim ipsorum cumulum adducere possimus; verum quia antiquissimos ferme omnes collegit *Ottomar. Epplinus* Boruss. Princ. Conc. Aul. in Selectior. vetustiss. ac probatiss. Patrum Judiciis de præcip. Evang. Narrat. Regiom. Bor. 1560. fol. 750. seqq. nos hoc liberatos ac vindicatos vidimus labore. Quod ad eos, quos Baronius pro se citare annititur, & ipsos, si accuratiori iudicii trutina perpendantur, nostræ favere sententiæ nemo non videt, nisi præconceptæ opinionis glaucoma oculos fascinat. Hinc recte de Origene *Casaubonus* L. C. hoc ita observat: *Non dicit Origenes, ostensum fuisse id antrum ad Bethleem, sed in Bethleem, id est, intra muros urbis; siquidem fuit tum muris cincta Bethleem: certe, in ipso oppido.*

§. VI. Patet & hujus assertionis veritas tum ex factopientissimæ *Helene* Constantini Imperatoris Matris in ipsa urbe templum ædificantis, de qua *Sozomenus* L. II. de Helena ἀποδόμησε ναὸν ἐν Βηθλεὲμ ἀμφὶ τὸ τῆς γεννήσεως Χριστοῦ

σπῆ

σπήλαιον. *Ædificavit templum in Bethlehem ad speluncam illam, in qua Christus natus est.* Hinc & Eusebius L. III. de vita Constantini C. XLII. πρὸς τῷ τῆς γεννήσεως ἄντρῳ *ad nativitatatis antrum*, tum ex *Paula Romana*, de qua vide Hieronymum in Epitaphio ejusdem ad Eustochium tom. I. Oper. Ep. 27. Quicquid etiam hæc aliave sint, sufficient nobis aurea verba B. Dn. D. Olearii Annot. Bibl. t. V. ad Luc. II, 6. p. 391. Ein Wort des H. Geistes ist gewisser als 10000, Patres und 100000, Baronii. Wäre Christus nicht zu Bethlehem geboren/ so wäre er nicht der Messias.

SECTIO III.

§. I.

UT itaque ὑπερον committamus πρότερον, κατάλυμα, cuius Sect. I. §. 8. mentionem fecimus, significare sapissime ædificium publicum, in quod se peregrini & Viatores recipiant, ibi suum agnoscant diversorium, probat B. Chemnitius L. C. & Scultetus L. C. p. 67. Unde hoc admodum illustrat Is. Casaubonus L. C. p. 120. ab adjecta particula τῷ. Nam sine Articulo ἐν κατάλυματι sensum esse inquit: *Josepho & Maria nullum omnino patuisse diversorium, cum essent Bethlehemi plura, quod Gallice rectè en une hostellerie, vel en aucune hostellerie.* Probationem ulterius petit ex eo, quod non dixerit Lucas ἐν Φάτνῃ, quod gallicè en une creche, sed ἐν τῇ Φάτνῃ, ex la creche; Per hoc Lucam dicit *Generalem appellationem præsepis restringere peculiariter ad illud præsepe, quod fuerit in stabulo pertinente ad diversorium, cuius præcesserit mentio.*

§. II. Antri & spelunxæ §. 7. appellationis Is. Casaubonus L. C. p. 121. duas affert rationes. Primo ita scribit: *Cum esset Bethlehem in saxeo colle sita, videntur pleraque domus in saxis fuisse excise.* Strabo observat, totam regionem

*circa Hierosolyma ad sexagesimum usque lapidem esse ὑπόπε-
 τρον, petrosam. Bethlehem autem quatuor millia passuum
 duntaxat distat ab urbe, ut ait Jacobus de Vitriaco; vel sex
 ut Arabs Geographus. Quidam eruditus scriptor observat,
 esse in illo tractu multas domus saxis incisas, vel potius cellas,
 in quibus homines sese incluserunt religionis causa. - - -
 Proprie quidem antrum non erat ὄρυγμα, h. e. sponte natum,
 qualia celebrantur à Poëtis & Geographis, Trophonium Cory-
 cium, Themisonium & similia: sed locus concinnatus in usum
 stabuli, ut presepe ibi positum demonstrat. Quia tamen in-
 tra saxa illud stabulum fuerat excavatum, obtinuit, partim
 propter loci naturam, partim ad declarandam ejus utilitatem,
 ut spelunca passim appellaretur. Secundo nonnullis inter-
 jectis ita fatetur: Potest & alia ratio afferi, cur veterum Pa-
 trum nonnulli eum locum speluncam sepius nominarent: Pu-
 tarunt enim fuisse prorsus necesse, ut nasceretur in specu Chri-
 stus, quia sic olim fuisset predictum ab Esaia: Hic habitabit in
 spelunca sublimi rupis valida. Verum quia textus Hebræus
 C. XXXIII, 16, tale quid non agnoscit, eorundem haud pos-
 sumus adstipulari sententiæ.*

§. III. Illa autem *Ensebiï* atque *Cornelii* §. VI. omni
 plane carere fundamento infirmissimoque stare talo, cuique
 ad intelligendum haud est difficile. Jam ergo *Scultetum* §. V.
 & *Baronium* §. IV. jungemus, hi pro sua stabilienda sen-
 tentia afferunt, quod *Paulus* Jctus L. II. ff. de Verb. signif.
 dicat: *Romæ natum videri, qui ad urbem natus fuerit, & in
 continentibus aedificiis* V. Is. *Casaubonum* L. C. p. 122. & *Sculte-
 tum* L. C. Verum cum genuina scripturæ litera aliud nobis
 persuadeat, temere ab ipsa recedere non licet.

§. IV. Admodum etiam *Baronius* provocare solet ad
 Patrum Autoritates, præsertim cum Pontificiæ scholæ Do-
 ctiores eosdem nullis obnoxios erroribus faciant. Patet
 enim illa *Caramuelis* Theol. Rat. de severa argumentandi
 metho-

methodo Disp. II. p. 17. modestia, statuens, nunquam dicendum esse Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, vel alium Doctorem errasse, dici tamen posse, fuisse talis opinionis, cujus probabilitatem nec vellemus probare nec improbare. Verum causam nostram agit Cardinalis Bellarminus, cui cum testimonium Epiphaniï objiceretur expresse ita Lib. I. de sanctis Cap. 6. sect. penult. scribit: *Justini, Irenæi, Epiphaniï atque Oecumenii sententiam non video, quo pacto ab ERRORE possimus, defendere. Accedit & Jesuita Salmero, qui in Rom. V. Disput. LI. circa finem §. Neque mirum: de Damasceno Augustino, aliisque Patribus ita inquit: Quamquam sancti fuerint, tamen dum viverent, ut non excusamus illos à levibus culpis, ita nec à quibusdam erroribus: & nescientis, præsertim cum scriptum sit, diminuta sunt veritates a filiis hominum; ut enim vitæ sanctitas neminem à peccato purgat, ita nullum ab erroris periculo vindicat. Si præterea tribuendum ipsis aliquid, valebit, quod supra adductum nobis fuit, omnes nimirum, si penitus inspiciantur, ne latum quidem unguem à nobis recedere, id, quod, præprimis de Origene, probat Casaubonus L. C.*

§. V. Conatur & Hugo Grotius LL. CC. Sculteti atque Baronii sententiã alio probare modo, dum ita: *Nibil sane video, quod obstet, nisi quod infra (vers. sc. 12.) natus dicitur εν πόλει Δαβίδ, & quod templum in ejus specus honorem ab Helena structum, dicitur in Bethlehem. Sed apud omnes populos usitatum est, ut continentia edificia, qualia adherere etiam parvis oppidis sepe videmus, oppidorum veniant nomine, jure sc. accessionis. Sic Christus dicitur moriturus in Jerusalem. Luc. IX. 31. & Cap. XII. 33. quem constat extra mœnia esse crucifixum. Sic Josua dicitur fuisse Herichunte vers. 13. C. V. & Gibeone C. X. 10. cum eas urbes obsideret, & Luc. V. 12. Jesus dicitur in una urbium obviam factus leproso, cum constet leprosos extra mœnia mansisse. Et ipse Herodes ostendit factò,*

se Micheæ vaticinium in hunc modum intellexisse. Sed respondemus in genere, quodque si ἐν in his locis vertendum per ἐγγύς, alibi Evangelistæ fidem faciant, idque pateat ex inspectione & collatione aliorum locorum, quod de nativitate non constat. Si ergo aliquid probat, probabit esse in nonnullis locis, non autem in hoc ipso, hujusmodi sensum, 2. in primo loco sermo fuit de impletione omnium, quæ erant implenda, non de sola morte. At vero hæc non tam extra quam intra Hierosolymam contigere. 3. in secundo non est ἐν de quo lis est, & proinde ἐξω non opponitur districtui Hierosolymitano, sed exteris Palæstinæ regionibus. 4. Ex facto Herodis & pueros in Bethlehem occidentem nihil probatur.

§. VI. Sunt &, qui ex Pastorum historia illud ipsum evincere annituntur. Nam si intra muros præsepe illud fuisset, in quo pastores filium Dei adorarunt; *Quomodo, inquit, nocte intempesta aut urbem ingredi potuissent, aut stabulum invenire, in quo istud præsepe?* Ad primam nempe ingressionem Pastorum in urbem quod spectat, probare conantur equidem multi Bethlehemum habuisse mœnia, cum inter *ערי מצורות* Civitates munitas Judæ & Benjamin referantur 2. Paral. II. 6. & in portam Bethlehem irruisse pro heroico facto habeatur 2. Paral. XXIII. 16. Verum respondet erudite *Casaubonus* L. C. p. 123. *Si Bethlehem erat κώμη, Vicus, verisimile fuisse ἀτόχισον h. e. muris non cinctam, nec muros habuisse: Si oppidum fuit muris cinctum, verisimile est in tam alta pace portas, ut plurimum, relictas fuisse apertas: aut certe divina providentia evenisse illa nocte, ut paterent porte.*

§. VII. De altero, quomodo nimirum potuerint Pastores locum dignoscere, ubi erat infans recens natus cum matre, recte monet *B. Chemnitius* L. C. Cap. VIII. p. 84. Quod Lucas non simpliciter dicat, invenerunt, sed ἀνευροῦν, &

& velit intelligi, factam esse in Civitate Bethlehem à Pastori-
bus diligentem inquisitionem, an illa nocte puerpera aliqua
in stabulo peperisset, & ubi infans aliquis recens natus in præ-
sepi reclinatus jaceret. Et post diligentem inquisitionem ita
invenerint, sicut Angelus dixerat. Et hinc bene hac de re
loquitur *Casaubonus L. C. Multas equidem excogitari posse ra-
tiones, qui istud sit factum: sed quia tacuit S. Lucas questio-
nem hanc missam facere me, & quod scriptura siluit lubenter
ignorare profiteor.*

§. VIII. Quod denique *Cajetanus* ad Luc. II. difficile
putet esse intellectu, quomodo ignoraverit Herodes Chri-
stum à Magis esse adoratum, si in ipsa urbe ponatur facta ado-
ratio. *Hæc autem difficultas, inquit, cessat, si extra muros ado-
ratus est Jesus.* Verum sufficiat his supposuisse responsio-
nem *Casauboni*, qui inter alia L. C. p. 123. ita: *Quod de facto
magorum nihil rescivit Herodes, Providentiæ divinæ adscriben-
dum, ut alia multa magis mirabilia, quæ in hac stupenda histo-
ria possunt observari.*

§. IX. Ea demum, quæ de miraculosa domus Naza-
rethanæ, qua Maria Angelicum de conceptione Messia ac-
ceperit nuncium, quaque postmodum conceperit, transla-
tione refert superstitiosa Papicolarum gens, sicco præteribi-
mus pede. Quamvis in agro Loretano templum visetur,
cujus portæ seqq. inscripta testetur *Nath. Chytraeus Delic.
Itin. p. 198.*

*Hæc est sancta domus, tenuit quem virgo Maria
Cum puero Jesu pauper in orbe manens,
Hæc est sancta domus, lustrat quam Virgo Maria
In cælo residens gloria magna DEO.
Felices illi, queis tantum visere templum
Contigit, & gratias obtinere DEI.
Vos ergo pueri Christum, Vos læta juventus
Ducite, cantantes carmina læta, choras.*

Item:

Item:

Hoc est sacellum, quod Maria, Matris Dei, cubiculum fuit, ex Asia per immensum mare Angelorum opera in Europam tralatum: in quo & nata Maria, & educata, ad annum XII caeleste in eo accepit nuncium atque ex DEO concepit.

§. X. Magnus quidem hac de re dicendi campus sese ulterius omnino offerret; verum quia charta huic destinata exercitio impleta, stylum filumque abrumpimus. Te autem L. B. quod supra fecimus obnixè rogitamus, velis ea, quæ festinante coniecimus calamo, benigna aspicere fronte. Rem ergo omnem iis, quibus sapientes Gemarici suum tract. הנרה זרה ה' קוינו, concludimus verbis: לו נגילה ובשמחה בישועתו ית' שמו לעולמי עולמים
Ecce hic est DEUS, expectemus illum, exultemus ac letemur in salute ejus! Cui sit laus atque gloria in secula.

תוספור

- I. Vero congruè omnino videtur, quod magni nominis Vir inculcare quondam nobis solit: Homines sumus, nec ullus unquam hominem vidit.
- II. Perperam dico, Deum in spatiis, ut vocant, imaginariis esse presentem.
- III. Universale non est ens reale.
- IV. Tria sunt principia C. N. Materia, forma & privatio.

תם ונשלם שבח לארל ברית עולם:

✠ () ✠
✠ ✠

Coll. diss. A. 216, misc. 30